Analyſ. Logic. in h. l. qvaſi dicat, *qvod qvidem feci* (ut nimirum Titum circumcidi *non paterer*) non propter circumciſionem, ſed propter *irreptitios* &c. *idqve* ex ea ratione, qvia alias facto ſuo falſam *necesſitatis* opinionem exoſculari, Judaiſmi obſervationem corroborare, doctrinamqve de Libertate reſpuere videatur atque ita calumniandi anſam falſis ſubminiſtrare fratribus. *Græcum* διὰ δέ, qvod *Vulgata ſed propter*, *Syrus* מטרין tranſtulit, hic, notante a *Lapide l. c.* accipiuntur pro δὴ vel δῆτα id eſt *nempe*, cujus enallages exempla a *Budæo* adducuntur, q. d. non eſt compulſus, *nempe*, vel ut *Gagnæus* vertit, *etiam cum* falſi fratres eum urgerent circumcidi. Hic pollicem premit *Beza in notis ad h. l.* & dicit non fuiſſe cauſam, cur *Eraſmus* expungeret inhaerens opinioni *Hieronymi* putantis redundare, qvod non praecedat μεν, id qvod tamen *Bezæ* eſt minus ad ſalviam. *Primaſio* & aliqvibus τὸ *ſed proprie ac adverſative* ſumitur q. d. Paulus, non qvidem propter Apoſtolos, ſed inſtantiam falſorum fratrum Titum fuiſſe circumciſum, at perperam. Per *falſos fratres* Paulus intelligit *Pſeudo-Apoſtolos*, qvi fratrum titulos mentiebantur; aſt reapſe erant hoſtes inteſtini, rectae fidei verae Eccleſiae & Libertatis depeculatores & depopulatores vaferrimi, horum eo tempore Anteſignanum fuiſſe *Cerinthum* haereſiarcham demonſtrat *Epiphanius hæres. XXIIX.* num. 2. & 4. Et de hoc *Cerintho Philaſtrius Brixienſis hæres. XXXVI. Docet*, inqvit: *circumcidi & ſabbatizare. Hic ſub Apoſtolis quæſtionem ſeditionis commovit, dicens debere circumcidi homines, cujus cauſa contra illum & hæreſin ejus decreverunt in ſuis actibus Apoſtoli ſententiam, non debere jam homines Judaiſmo ideſt, circumciſioni aliisqve talibus vanæ ſuperſtitionis parere carnalibus, qvi de gentibus venientes credebant in Chriſtum Dominum*